DE CARDITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS CAESARIS VIGNA

Cesare Vigna



DE

CARDITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

CAESARIS VIGNA



PATAVII
EX TYPIS VALENTINI CRESCINI
1842.

A TE GIROLAMO DOLCE FRATEL MIO

CHE PRESA DELL' INESPERTO FANCIULLO

SOLLECITA PATERNA CURA

COL CONSIGLIO COLL' ESEMPIO CON AMORE OPEROSO

ME SORREGGEVI

QUESTO TENUE ESERCIZIO

IN ATTESTATO DI RICONOSCENZA DI STIMA DI AFFETTO

NEL PIÙ BEL GIORNO DI MIA VITA CONSACRO

DE CARDITIDE

Fundamentis non omnino destituta fuit nonnullorum ex antiquis philosophis opinio, qui, summa sedulo perpensa dignitate, quam cor nobilissimum viscus primum in embryone se movens, ultimum, in moriente quiescens continuo in animali oeconomia exerit, organon hoc morbo detineri posse vel plane denegaverunt, vel saltem ejus affectionem utpote cum vita non conciliandam, illico lethalem evadere arbitrati fuere. *Araeteus* revera axioma statuere non dubitavit " ubi cor vitiatum est numquam vita perduci potest ,, ex quo videretur, inflammationem cordis vix accensam in fatalem ruere terminationem, seu potius mortis repentinae, quam morbi cujusdem cursus idoneam imaginem praeseferre debere. Tale judicium factis et observationibus suffulciri quisque videbit animadvertens, innumeris historias medicas scatere exemplis mortis subitaneae pectoris subsequutae inflammationes, quae nondum in pulmonibus alterationes ad vitam sufflaminandam capaces attulerant, in quibus vero ex autopsia phlogosis ad cor cum inevitabili, subitaque motuum vitalium, circulique suspensione diffusa depromebatur. Et notum est, in majori casuum numero vulnera leviora, puncturas superficiales ad mortem illico gignendam sufficere. Istiusmodi facta et *Araetei* opinioni et sententiae jam primitus ab *Hippocrate* et *Galeno* emissae, a *Fernelio* dein, aliisque repetitae, vulnera nempe cordis immediate, sollicite, absolute lethalia existimanda, opitulantur. Ast ex alia parte tot sunt ab historia pathologiae oblatae exceptiones, tot tantaque facta antiquorum opinioni aperte adversantia, ut non tantum de morborum cardiacorum possibilitate, verum etiam processum vitalem cum enormibus organicae cordis structurae vitiis conciliari posse, hodierna die concludere liceat. Reapse plura enarrantur exempla vulnerum in hoc viscere non tam cito lethalium, sicut *Bayer*, *Durande*, *Triller* praecipue observavere, ulcerum in corde tantorum hominum et animalium repertorum: non desunt fideles relationes gravissimarum substan-

tiae ipsius carnosae laesionum, quae ad cicatrisationem pervente attoniti dissectoris (*Richerand*) oculis objiciebantur; corpora peregrina in corde etsi ingentia, magnoque cum impetu in ipsum jactata hospites, ut ita dicam, tranquilli habitare per annos potuerunt; ipsae insignes ejus rupturae (incredibile dictu!) longa placidae existentiae intervalla concessere, et communiter organica vitia, mysteriosae productiones, luxuriantes vegetationes, mirabiles degenerationes, aliaque prodigia pathologica observanda occurrunt; quibus abnormitatibus Musea anatomica ditissime replentur, et notabilia referuntur exempla ab auctoribus maxima fide dignis, ut sunt *Senac, Morgagni, Mekel, Corvisart, Testa, Sasse, Scarpa, Burns, Hodgson, Laennec, Kreysig, Bretin, Boilland;* aliique praeclarissimi, qui tantas de morbis cordis practicissimas observationes, utilissimasque illustrationes nobis praebuere. Et hic considerationem illustris *Testa* a longa praxi, studioque profundo deductam ipsis auctoris verbis commemorare mihi lubet. « In ogni modo in mezzo a tanta dignità del cuore negli usi della vita, nella continuanza di tanti e così numerosi fatti è incredibile a dirsi questo alcune volte sia lungo il vivere ancora dopo li guastamenti locali li più enormi di questo viscere ». Cor igitur, ut aliae organismi partes, inflammationem et processus illam subsequentes sustinere potest. Et si hoc ob antiquis impossibile habebatur, si propterea carditis in veterum nosologiis non invenitur, cuinam aliae causae hoc tribuendum erit, nisi deficientiae frequentium cadaverum sectionum, quas temporum superstitiones vetabant, et consequenter neglecto anatomiae pathologicae studio, quod scientiae morborum primum, unicum, solidissimum fundamentum sistit.

Sub nomine carditidis non tantum cordis, verum quoque cujuscumque partis aut membranae cum corde intime nexae inflammationem comprehendere fas est. Characteres ideo phlegmasiae cordis illi pericardii communes considerandi veniunt, sive quod ab hujusce sacci adfectionibus cor necessario in compassionem trahatur, sive quod forsan possibile non est, cor et pericardium morbo seorsim affligi. Tunica enim pericardii faciem internam efformans super vasa majora reflectitur non alio modo ac conjunctiva, quae postquam palpebras interne obtexit super oculi bulbum se confert: quamobrem phlogosis, quae tam faciliter ad partes continuas in primis structurae identitatem gaudentes diffunditur indicatas superficies simultanee non aggredi nequit. Caeterum carditidis et pericarditis symptomata istis ambabus etsi distinctis adfectionibus adeo communia censentur, ut non solum aliquod signum, quod in praxi proprium, alterneque exclusivum vocari mereatur, sed etiam ullum

in una aliave constantius aut frequentius observatum enumerare possibile foret. Tamquam unicus morbus ideoque consideratae et sub eadem denominatione collectae fuero *Senac*, *Testa*, *Kreisig*, *Corvisart*, et *Joseph Frank*, qui immo subjungit »impellor eo magis ut utrumque morbum uno nomine comprendam, cum ad lectos aegrorum inflammationem pericardii ab illa cordis conjectura dumtaxat distinguere valeamus« — Ut plurimum morbus de repente individuos aggreditur cum frigore aut forti et continuo, aut leviori et intercurrente calore. Sub frigoris accessu corpus interdum ac si gypseum esset, pallet. Calor autem fit conspicuus: calet maxime pectus in primis ad latus sinistrum; percipit aliquando aeger sensum ac si vas liquore fervido repletum super hoc latus effunderetur. Comitatur vero aestum exterorum, internumque magna inquietudo: facies aut rubra, aut pallida, modo subflava, modo violacea in lineamentis peculiariter alienata; physiognomia, morbo ad acmen perducto, desperationem exprimens; lingua adparet rubra, admodum sicca: sitis inexplebilis cum acquae frigidae desiderio, deglutitio dolorifica et praepedita, vox rauca, et respiratio sub actu bibendi inhibita; oculis splendentes, truces, quandoque languentes, fere cadaverici ac pulverosi: aegri agitatione continua vexantur, nec non ab anxietate lacerante, terrore, funestaque mortis proximae praesentione opprimuntur. Consequenter potissimum de dolore sub sterno aut ad latus sinistrum thoracis atque ad regionem epigastricam conqueruntur. Infantes regioni dolenti manum ipso sub somno admovent. Dolor modo est gravativus, et terebrans, modo acutus et punctorius, nunc tantummodo distrahens; sensus oppressionis quasi ponderis sterno incumbentis. A profunda inspiratione vix ille augetur: immo aegra sponte spiritum veluti suspirando profunde ducunt; respiratio citata, difficilis absque congestionis bronchialis symptomatibus. Haud raro dolor ad latus sinistrum colli, ad scapulam sinistram aut intra scapulas, ad bracchia, aliisque loca dissita, percipitur. Decubitus modo undique, modo in alterutrum latus maxime in dexterum concessus; motus cordis abnormes, tumultuosi, inordinati, admodum intensi, aliquando etiam tremuli, et obscure animadvertendi; pulsus frequentissimi centum et viginti ictus in minuto primo excedentes, incostantes, omnimode turbati, intermittentes, duri, et saepe per intervalla ex integro deficientes: enascuntur tunc deliquia syncopes gravissimas, verasque asphyxias in mortem haud raro abituras minantia. Provectiori in morbo plurimi sedere student: alii e lecto prosiliunt, humique prosternuntur. Dispnoea potius per angorem e regione cordis prodeuntem, quam per motum thoracis manifestatur. Vibrat cor, vibrant carotides, oscillant jugula-

212

res, pulsatque epigastrium. Tussis per insultus saepe e motu corporis excitatos redit. Est illa ab initio sicca, dein vero cum sputis ex albo muco cum sanguine coloris atri aut lateritii mixtis, aegrumque vix sublevantibus absolvi solet; sputa interdum omnino desiderantur. Halitus saepe calidus est; in multis hypochondria tensa sunt, sinistrum sursum comprimendo angustiae augeri solent. Crescente morbo, debilitas et jactatio invalescent. Accedunt praeterea sensus soffucationis, oedema faciei, et extremitatum, obnubilatio oculorum et objecta, ac si viridi colore tincta essent, cernuntur. Non desiderantur phoenomena nervosa, potissimum delirium nonnumquam furibundum, vertigo, aurium susurrus, tetanus ipse, crebraeque lypotimiae. Extremitates lividae sudore irrorantur. Tunc mors sub summis angustiis saerius, ocyus scenam horribilem claudit. Felicissimo in casu consuetae criseos signa ingruunt: saepe tamen crisis potius febrem, quam inflammationem respicit et aeger in alios morbos inflammationis reliquias incidit. Symptomata adeo impetuosa non in omnibus indiscriminatim casibus manifestantur, ista phlogosim intensissimam visceris totalitatem, vel maximam membranae internae extensionis partem occupantem supponunt. Ex hisce carditidis diagnosis facili negotio depromeretur, ubi talia medico semper se objicerent: ast saepissime ob malorum, quae morbo adsociantur essentiali sive per merum partium consensum, sive per peculiares, propriasque jam antea existentes dispositiones, sive per alias circumstantias complicationem, tanta nova, insolita consueto symptomatico adparatui adduntur, tantaque e converso obscurantur, aut plenarie deficiunt, ut morbi diversimode mutetur imago, et plura observatori celentur criteria. Praeterea, monentibus practicis, signa descripta non adeo hujusce morbi pathognomonica ac exclusiva sunt, ut inflammationem etiam aliorum viscerum nobilium, maximaeque in organismi praestantiae, sicut encephali, pulmonis, haepatis, diafragmatis comitari nequeant. Mihi tamen videtur valde rationi consonans putare, signa praedicta in hisce postremis casibus non esse illarum adfectionum propria, ad illa nempe organa referenda, verum potius facillime cor, vel pericardium, vel ingentia vasa praecordialia, vel innumera vagi filamenta, quibus cor ditissime provvidetur ob diffusionem morbotam, aut saltem ob sympaticam fortiorem concitationem earum infirmitatum participes fieri existimo. Quod autem de carditidis primariae existentia monitos nos reddere potest est dictorum symptomatum gravissimorum, taliumque argumentorum exitus funesti terribilium usque ab initio morbi adparitio: dum in aliis phlogosibus, morbo ut plurimum declinante, in scenam prodire cernuntur. Illa revera nervorum cardiacorum profunda laesio, illa

motuum vitalium subinde enascens necessaria vacillatio, ille tumultus, palpitatio, fremitusque e turgore phlogistico provemens, ille transitus difficilis laboriosus sanguinis e dexteris cavitatibus ad pulmones, ab istis ad sinistras et hinc ad magnam circulationem istae omnes, inquam, alterationes in aliis morbis capitis, faucium, pulmonum, disfragmatis succedentes affectus indubitato sunt inflammationis a primitiva sede ad cor successivo translatae vel diffusae, dum in carditide morbi ejusdem primas, necessarias existunt manifestationes. Caeterum si non omnia dicta signa prodibunt, non deficient saltem puncturae ad cordis regionem dolorificae, sensusque pressionis, sub quo aegrotus atrocibus vexatur angustiis, non deficiet perturbatio in cordis pulsationibus, verus cardiopalmus, aut obscurus fremitus, profundaque organi fluctuatio, non deficient tandem deliquia, sudores ad frontem frigidi, agitatio ad altiarem quandoque gradum evecta. — Descripta carditidis forma practicorum versatissimorum testimonio ad raros morbos pertinet; attamen adnotandum est, rariorem adparere ob summam facilitatem eam cum intensiore pneumonitide sociata praetervidendi, uti *Morgagni*, *Testa*, aliique referunt; quinimmo *Petrus Frank* vix a pneumonia distingui posse autumat, et rarissime inflammationem cordis, caeteris thoracis visceribus illaesis evenire admonet.

Carditis acuta neglecta in chronicam quandoque transit, interdum vero lenta jam incipit, moderateque per longum etiam tempus decurrit. Priori in casu individuos invadit, qui antea febribus sinocis, rheumaticis, intermittentibus, pertinacibus, recidivis vexabantur, aut est gravium phlogosium completam non adeptarum resolutionem successio. In altero homines praediligit, qui originariae organicae structurae causa cordis functio in statu quoque physiologico valde actuosa, et talis, quae oblevissimas causas validioribus palpitationibus plus minusve acceleratis patefit, homines uno verbo praedominio sic dicto cardiaco donatos. Cujuscumque vero sit originis chronica valde frequentior quam acuta et speciatim profunda occurrit: et ratio in prevalante nonnullarum partium adfectione consistere videtur. Generatim enim morbo interna, vel externa membrana serosa detinetur, et tunicarum serosarum inflammationem lentissimum ut plurimum celebrare decursum experientia edocemur. Quod si ipsa cordis compages adficiatur, cum sit muscularis, non adeo facile alteratur, et morbum diutius, antequam infaustis subjaceat exitibus, sustinere valet, sicuti exemplum in positida luculentissimum habemus.

Carditidis lentae symptomata valdopere obscura atque incostantia sunt. Per aliquod tempus aeger de molestiis uni-

4.14.

versalibus, de incertis sensationibus, quas exprimere nescit, aut iis praecipuam adsignare sedem, conqueritur, aliqua subitanea accensio, motusque febrilis tum et quando observatur, nec non sub sterno sinistrorsum versus puncturae dolorosae accusantur. Cardiopalmus et generalis orgasmus (angiosthenia) cum calore sub flammarum ad faciem adscendentium forma inter praecipua morbi phaenomena adnotantur: ad determinatas vero tantummodo diei apochas, uti in digestionis periodo et post somnum recurrunt. Pulsus fere semper frequentes, celeres, duri, contracti (spastici), interdum vere febriles, inconstantes, intermittentes. Potissimum major vel minor dispnoeae gradus cum dolorosos pectoris constrictionibus; cutis in colore admodum variabilis, modo intense accensa, modo pallida quas gypsea; et hic quoque deliquia recurrentia videre est; in motu corporis quidquam accelerato respiratio fit anhelosa, motusque cordis validioras. Quae omnia speciatim autem agitatio cardiaca vel adparent, vel exacerbantur, quotiescumque aegri regiminis errores committant, diaetae laboribusque ultra normam indulgeant, aut amotionem psychicam vividiorem patiantur. Inflammata praecordia comitari a ciborum desiderio aucto, sudoribus colliquativis, diarrhoea mucosa, foetida, ardore esophagi, cessatione pulsus arteriarum et aedemate *Testa* vidit. Juxta eumdem tamquam signum in chronica carditide laborantibus conspicuum habetur specialis textus membranacei dispositio, quae a lenta in ultimis vasorum rubrorum extremitatibus phlogosi, carditidi vix non semper adsociata sustinetur, et a qua sudores copiosi, vomitus frequentes, abnormes entericae separationes, infiltrationes, aedemata enascuntur. Ad symptomatum recensitorum inconstantiam probandam animadvertere sufficit, non raro organorum in cadaveribus statum inquirentibus, clarissima patefieri cordis aut pericardii inflammationis praegressae vestigia quin ullum in vita illius existentiae, phoenomenon adfuisset. Nihilominus et alia a nonnullis carditidis signa considerata quamvis incertiora enumerare juvabit. Sic tussis, quam aliqui adeo characteristicam habebant, ut cardiacam vocarent: singultus, qui pericarditidem a carditide distinguere juxta alios valeret: vomitus, de quo speciatim locuti sunt *Darwin* et *Devis*: sensatio frigoris in extremitatibus inferioribus praeprimis sinistris a *Marcus* observata; pulsus celerrimi, sicut Doctor *Folchi* ratus est; convulsiones tandem, quarum nullum hocce in morbo magis vagum, abstractum et inconstans recensetur signum. Forsan rarius deficit nocturna agitatio, sub qua aegri de repente et repetitis vicibus cum tremore ac palpitu expergefiunt non aliter ac si in somno aliquod periculum eorum menti oblatum esset; nihilominus tamen et ab hydrope pe-

ctoris chronico hoc signum producitur, cum alioquin plures alios carditidis characteres hydrothorax aemuletur. Quapropter nunquam satis in occultae lentaeque carditidis diagnosi medicorum attentio commendari potest, et eo magis quum adeo facile cum aliis morbis confundatur. Praeterea cum de symptomatibus cardiacis agatur, medici saepissime ea utpote solum consensualia, mere irritativa, sympatica, dinamica a nervosa quadam mysteriosa mobilitate producta, ideoque parum attendenda considerant, vel e contra a laesione materiali eminenti, a vitio organico, ab alteratione instrumentali artis eludenti praesidia illa promanare arbitrantur. Lentam in utroque casu carditidem haud raro praetervideri, nullus dubito.

Momentorum excitantium cum interna dispositione concursus, sicut alias infirmitates, cordis inflammationem gignit. Carditidi praedisponuntur individui temperamento sanguineo, herculeo praediti, nec immunia censentur temperamenta nervosa, illa speciatim valde adusta et macilenta, homines apopletica constitutione donati, puellae nimis irritabiles, robustae, et accensae dysmenorrhoeam in primis pubertatis periodis perpessae (chloroticae) aut in quibus menstruatio, praecipue ob pathemata, et sexualia incitamenta suspenditur. Ad hujusce morbi evolutionem valdopere contribuunt vitia haepatis inveterata, haemorroides, diathesis artritica, podagrosa, membrorum recisiones, dispositiones haereditariae, mala thoracis conformatio, morbi pectoris praegressi, in primis pleuritides et pneumoniae perfectam non consecutae resolutionem, hypocondria, abdominis mala, habitus sic dictus haemorragicus activus et status ille, quem illustris *De-Haen* diathesim aneurysmaticam compellavit. Graviditas inter praecipuas causas dispouentes est revocanda: et revera ex una parte perpendentibus majorem, qua pulmones laborant, difficultatem se ob imminutam thoracis cavitatem expendendi, unde arteria pulmonalis libere sanguinem traducere nequit, ideoque major illius in dexteris cordis cavitatibus detinetur: et ex alia pressionem, quam uterus gravidus super aortam abdominalem exercet necessario circa cor sinistrum congestionibus ansam praebentem, ratio facile patebit conditionis stheniae permanentis, stimulorum ultra normam in corde gravidarum agentium, ejusque insimul ad inflammandum proclivitatis. Ita dicatur de puerperio: *Mekel* in suis doctissimis de morbis cordis observationibus varios in puerperis enatae carditidis casus refert. Eadem immo proclivitas ad exsudationes, quae in puerperarum peritoneo animadvertuntur, et pericardii propria esse solet. Tamquam vero absolutae et excitantes considerantur: laesiones pectoris ab extu, concussiones, ictus, contusiones, graves impulsiones ad pectus, quae omnia maximam exposcunt at-

tentionem, cum generatim negligantur, symptomata enim laesionis, speciatim cordis serius quandoque prodeunt et quando adfectio jam profundis defixa radicibus nullam amplius curationem admittit. Interdum istiusmodi violentiarum externarum vis adeo insignis evadit, ut internae cordis columellae, fibraeque tendinosae, quae ab illis ad valvularum extremitates se conferunt divulsae fuerint. De hoc memorabilia et clarissima a *Corvisart* enarrantur exempla. Vulnere cordis, quae non semper illico, seu paucas post horas lethalia aegros quandoque per haebdomadas ipsis superesse concedunt, momenta carditidem excitantia simpliciora et potentiora tenentur. *Morgagni* et *Senac* horum casuum numerum collexere ingentem. *Triller* de mirando cordis vulnere post quatuordecim dies lethali dissertationem emanavit. *Fontani* mortem solummodo trigesima tertia die e vulnere transacta, quamquam sinister perforaretur ventriculus, supervenire vidit. Ad externas traumaticas laesionem hic referendae occurrunt artes illae, in quibus ob meccanicum exercitium respiratio, et musculi thoracis motibus inservientes perennis quas violentae statum patiuntur, ut e nisu in ponderibus gestandis, in campanis pulsandis, in exercitiis gymnasticis absolvendis, in laboribus rusticanis et hortulanis entrorsum flexo corpore peragendis, quae omnia, ablata pulmonibus se convenienter expandendi possibilitate, parvam circulationem ob sanguinis copiam, quae in anteriores cordis cavitates ultra normam cumulari cogitur, necessario laedere debent. Carditidem gignunt cunctae potentiae ad cordis actionem summopere concitandam capaces, uti cursus, saltatio diuturne peracta, nimis rapida equitatio, et speciatim nisus protractae expirationis ab illis perfectus, qui maximos conatus ad elevanda et sustinenda immania pondera exercent, aut totis viribus aggressibus validissimis atque inconcinnis resistentiam opponere nituntur. Hinc *Galenus*, monente *Senac*, observavit, gladiatores talibus corripi pectoris phoenomenis quae hodierna die utpote carditidis symptomata considerantur, quaeque talis e graecis praeceptoribus, quod cor inflammari nequiret suasis non habebantur. Etiam fortes commotiones et vulnera capitis hunc morbum tum et quando attulere. *Mazza* casum referet cujusdam aegrotantis capite insigniter percussi, in cujus cadavere non sine admiratione cordis magnum abscessum inveniti quod factum *Curtius Sprenghel* per consensus leges explicare arbitratur: videtur tamen, hoc melius e phlogoseos diffusione repetendum esse; tali enim in casu vinculum habemus cum ramis nervosis cordi inservientibus; dum caeteroquin quomodo communicationis consensualis et sympathiae leges phlogistici processus accensionem evolvere queant, nescirem. Ipsae constitutiones atmosphericae, sub quarum influ-

au aliae pectoris phlegmasiae oriuntur carditidem producere possunt. Hoc loculentissime confirmavere *Trecourt* et *Huxam*, quorum prior inflammationem cordis ab ipso epidemicam observatam contagiosam quoque indolem induisse putabat. De carditide epidemica crassante et *Huber* testatur. Alias carditidis origo ab aliarum inflammationum extensione repetenda est; quinimmo quamcumque phlogosim sat acutam, ut motus febrilis energicus excitetur ad carditidem gignendam revera tendere asseri potest. Majorum arteriarum et venarum inflammationes inter alias illae censentur, quae facillimo negotio ad internam cordis membranam tunicae, ut scimus, vasorum internae continuationem sistantem, communicantur. *Vogel* carditidis causam exsiccationem pericardii ab alacriori absorptione in vehementi sinoca productam considerat: hunc vero auctorem effectum inflammationis cum ejusdem causa permutasse, reor. *Kreisig* potentissimum morbi occasionale momentum in veneno hydrophobico admittit; hinc hydrophobiae essentialem conditionem pathologicam in vehementissima carditide consistere autumat. Juxta *Sprenghel* jam *Magnus Efesi* cor uti hydrophobiae sedem habuit, et cum ipso etiam *Condronchi* convenit. Non obliviscendum praeterea, carditidem quandoque produci a refrigeratione corporis praecipue ab haustu gelido, aestuante corpore, ingurgitato, a potu liquorum fermentatorum nimio, saepe enim in tromophrenesi bibonum laborantibus carditis occurrit, a fuga praepostera impetiginum et exantematum in primis psorae, herpetis, erisipelatis, urticariae, a contagio pestis, scarlatinae, et morbidorum, uti *Portalii* docent observationes. Ex scorbuto et syphilide saltem carditidem chronicam enasci *Lieutaud* existimat. Sed ex frequentioribus hujusce morbi causis pathemata evadere in dubium revocari nullo modo potest. Certum est, influxus ab animi pathematibus promanentes ad solas cerebri, nervorumque propagines non limitari, verum sic dicta praecordia et cor mediate seu immediate ab animo agitato graviores et funestiores patiuntur effectus. Revera dum in nonnullis casibus cor ejus pulsationes ad validissimarum palpitationum gradum accelerat, in aliis eas ad asphyxiam et syncopem usque imminuit, atque suspendit. Iracundia specistim effrenis ad summum evecta, aut, ut dicunt, suffocata, repressa, amoris proprii satisfactione non extincta, immo diutius ob compensationis deficientiam protracta: magna anxietas, gaudium inexpectatum, zelotipia, curae rodentes, amor infelix, aliaque pathemata, terrore non excepto, hanc adfectionem generaverunt: et pariter subitaneae illae accensiones, illi fortes et repentini angores ob aliquod grave infortunium cor vehementer excruciantes in ipso indelebilia eorum actionis indicia imprimere valent. Auctores innumera hocce modo

carditidis enatae facta describunt. *Soemmering*, ut probaret quantum fortis animi commotio valeat, se in juniorum militum forti nostalgiae subjectorum cadaveribus cordis inflammationem reperisse narrat. Nec immerito propterea nonnulli opinabantur, vitia cordis aut numquam aut vix efformari posse in animalibus, quae ratione orbata illis quoque internis tumultibus carerent super cor, summumque humanum adeo durum, adeoque funestum imperium exercentibus. Denique carditidis causas enumerantibus non est silendum de vituperabili intemperantiae genere, de veneris nampe abusu et speciatim de masturpationis execrabili vitio. Talis immo est organorum circulationi dictatorum in amoris accensionibus status, talis vascularis tumultus, ut quidam sub ipso coitus actu de repente perierint. *Testa*, *Morand*, *Lancisi*, *Morgagni* istiusmodi fecere observationes, et a *Vater* descripta fuit mors repentina militis cujusdem in aestu venereo accidens cum horribili clamore et jectatione corporis. Quod si etiam sub hoc abusu vita illico non extinguitur, ab eo tamen tot malae praecordiorum dispositiones, tot cordis infirmitates originem ducunt, ex quibus generatim, adhuc florente aetate, individui graviter excruciati contabescunt et infirmis admodum corporis animique viribus e vita discedunt.

Carditis idoneis non coercita subsidiis aliarum phlogosium sequelas habere potest: exsudationes nimirum lymphae mirifica in quantitate, pseudomembranarum sub formis diversis efformatio, suppurationes, adhaesiones, erosiones, purulentae collectiones, seri sanguinisque in pericardii cavitate extravasatio, polypi in organi cavo: terminationes omnes quas *Trecuort* in epidemia ab ipso observata vidit. Has sollicite et absque dubio vix non semper fatales evadere experientia docuit, excepto hydrope pericardii, qui convenientibus auxiliis pluribus in casibus curatus sanationem admittit, dummodo non a vitiata superficie, verum tantum ab adaucta morbosa secretione, seu a praepedita ob turgorem phlogisticum absorptione originem ducat. Indoles collecti seri admodum variabilis est, et juxta *Soemmering* quandoque indolem causticam, corrosivam acquirit. Aqua interdum in tot parvis vesiculis aut hydatidibus colligitur, quae post antiquam *Galeni* observationem visae et descriptae fuerunt in humanis cadaveribus a *Baillou*, *Volfingio*, *Wepfero*, *Tebesio*, *Fantoni*, aliisque: tumores ista nunc a pericardii, nunc a cordis superficie pendent: et tum et quando in variis sacculis a partialibus cordis cum pericardio connectionibus efformatis serum continetur. Saepe ab inflammato pericardio serum sanguinolentum, ipseque sanguis absque ulla vasorum laceratione exsudatur: hoc phoenomenum primitus a *Fabricio Hildano*, dein a multis in

posterum visum fuit. Exitus tamen acutae carditidis frequentissimus est cordis cum pericardio concretio, sive in toto ambitu tamquam unum corpus efformando, sive pro parte solum: priore in casu vita diu protrahi nequit: in altero aegri per longum etiam tempus vivunt; ast signa hujusce alterationis valdopere incerta sunt. *Lancisi* et *Vieussens* constanter palpitationes et aneurysmatis phoenomena produci putant: *Senac* frequentes gigni syncopes: *Mekel* contractum reddi pulsum, et *Laennec* nullo modo functionum exercitium saepe saepius turbari. *Sandres*, sicuti nonnulli medici anglicani referunt, credidit hujusce adherentiae signum reperisse pathognomonicam in cavo quodam, quod ad epigastri regionem efformatur sub costis spuriis lateris sinistri in quacumque cordis sistole; observatio, quam *Kreisig* cuidam Doctori *Heim* berolinensi tribuit, quaeque a multis erronea declarata fuit. Concretio autem completa aliquando adeo stricte perficitur, ut cor pericardio orbatum invenisse plures etsi celebres medici per errorem crediderint. *Corvisart* hanc lesionem absque inflammatione fieri posse opinatur; quinimmo ex tribus, quas ille distinxit, concrectionis speciebus unam tantum e pericarditide productam retinet. Inflammatio acuta membranae internae cordis aliquando exsudationem materiei plasticae, seu pseudo membranosae gignit. Probabile videtur, quod saepius hoc alterationis genus reperiretur, si dum productum sensim sensimque efformatur, continuo a sanguine inflammatam membranam irrorenta, ut ita dicam, non dilueretur, et ab unda ejusdem humoris aliunde concitata non perfringeretur. Pseudomembranarum fragmenta revera in corde quandoque inventa plerumque super valvulas existabant. Coagulatio sanguinis in cordis cavitatibus interdum producitur, et tunc sic dicti polypi offeruntur, quorum origo e *Kreisig* constanter repetita fuit a fibrosa tenacissime exsudatione, quam carditis ab ipso tali pacto polyposa noncupata generat. *Morgagni* et *A. Posta* dubium movent an polyposae sanguinis concretiones solummodo post mortem aut saltem in agone fiant, illum sub circulationis imperio, vasorumque actione coagulari posse denegantes. Inter carditidis sequelas puris efformatio ejusque collectio, sive sub interna membrana, sive in ipsis textus visceris muscularis interstitiis enumeratur: nihilominus tamen veri cordis abscessus e numero laesiouum anatomicarum communiter occurentium excludendi sunt. Veteres observatores multa loquuntur de pure aut in pericardio aut in cordis superficie aut in interna ejusdem compage invento: fides autem istis observationibus omnibus tribuenda non est, quoniam illarum plurimae confusioni inter lympham coagulabilem et pus superstruuntur. Fide digna exempla legitimorum absces-

suum, materiei purulentae in pericardii cavo detectae, et cordis ulcerura leguntur apud *Lancisi*, *Boerrhaave*, *Lieutaud*, *Morgagni*, qui ultimus una vice in pericardii cavitate adeo ingentem puris quantitatem invenit, ut a primo adspectu non pericardium, sed magnum quemdam abscessum videre crediderit. Et memorabilis exulcerationis casus refertur a *Walther*, qui totum cor ab ulceribus sinuosis profundis, quae in ventriculo speciatim anteriori aperiebantur perforatum cum tota superficie erosa vidit. Mutationes vero, quae generatim a processu phlogistico in textu musculari inducuntur variae esse possunt; at fere semper iste paullatim in substantiam mollam albicantem convertitur; fibras musculares parum tenacitatis servant: textus cellularis eas connectans flaccidus, ipsinsque cellulae materia lymphatica purulenta repletae: haud raro pro parte consumptus: systema vasculare admodum evolutum et superficies cordis a pericardio debite disjuncti colorem adipis flavescentis, pallidi offert. Questio fuit an cordis inflammatio in gangrenam abire possit? Si rationem tantum consulimus quaestio sane negativa esset persolvenda, cor enim organon est tantae dignitatis, ut ejus acutissima inflammatio aegros enecare, antequam in gangrenam vergere deberet. Quod ratio dictat juxta nonnullos, ut *Boillaud*, et experientia confirmaret; nullum enim, iis monentibus, sat tutum gangrenae factum haberemus ob summam hunc exitum cum aliquibus inflammatoriis ent mera cadavericis amollitionibus confundendi facilitatem. Idem auctor retinet, facta a *Deidier*, *Bauino*, aliisque referta, qui de cordibus putrefactis, gangrenatis plura verba faciunt nil adversae opitulari sententiae; ea enim ita incompleta et inexacte descripta inveniuntur, ut nulla plane fide digna haberi mereantur. Attamen non desiderantur sedulae a praeclarissimis viris observationes institutae, quae cordis gangrenam extra dubium ponunt. Talia non ambigua partialis gangrenae exempla a *Senac*, *Lieutaud*, *Corvisart*, *Testa*, *Kreisig* et *Portal* collecta fuere, qui postremus in quodam mercatore siccam usque gangrenam observavit; substantia cordis mollitiam magnam praesseferebat; summa facilitate discindebatur, et valdopere faetebat; color ejus erat ceruleo-obscurus et fibrarum muscularum interstitia ne guttulam quidem aquae continebant. Quibus omnibus perpensis, in dubium revocari nequit, carditam non solum in membrana cor obvestiente, verum etiam in ipsius visceris compage consideratam exitibus iisdam, qui in alterum corporis partium inflammatione succedunt subjici posse, modificationibus saltem ad peculiarem illius texturam referendis non neglectis.

Diversae a nuper descriptis mutationes in chronica carditide generantur non minus vera pericula offerentes:

nam si in acuta exitus repentini aegrorum vitam proxima minantur, in lenta tacite et occulte illae metamorphoses organicae cordis exoriuntur, quae omnibus temporibus pathologorum admirationem excitavere, quaeque omnia artis eludentes praesidia, etsi illico non lethales vitam, tamen morte ipsa pejorem concedunt. Sub chronica cordis inflammatione variae mirificae degenerationes, abnorme, productiones, indurationes, emollitiones, hypertrophia, atrophia, litiases, ossificationes, omniaque fere vitia, quae organicorum titulo audiunt, pedetentim evolvuntur. Hoc luculenter a praecl. *Testa*, qui aegregio calamo de cardiacis morbis scripsit primitus demonstratum fuit, et post eum ab omnibus fere auctoribus, qui de hocce argumento operam eorum contulere, ut sunt illustres *Kreisig*, *Burns*, *Hodgson*, *Bretin*, ipseque *Laennec*, quamvis eximius iste vir cum aliis non omnino consentiat phlogosi nonnullas denegando alterationes, quas cor, vasaque majora ipsi attinentia sub processus inflammatorii imperio revera ostendunt. *Boillaud* clare relationes, quae inter carditidem, et varias organicas cordis alterationes existunt exponit, et has postremas ab illa nimis alienas cum manifeste scientiae et humanitatis detrimento per longum tempus habitas fuisse, conqueritur. *Andral* camdem opinionem circa relationes inter carditidem, vitiaque cordis profitetur, ut sequentia ejus dicta testantur » si phlegmasia membranae internae cordis ad statum chronicum transeat, haec membrana crassior fit in eo speciatim loco, ubi ad valvulas variorum cordis ostiorum constituendas duplicatur. Non solum crassior, verum etiam sedem tot abnormium vegetationum et degenerationum variarum sistit. Textus valvularum fibrosus inflammatione correptus indolem cartilagineam, et osseam induere tendit; plurimae variorum cordis ostiorum constrictiones initium a phlogosi acuta et speciatim chronica membranae visceris cavitates obvestientis habuere. Sub chronicae carditidis influxu substantia carnosa hypertrophica redditur, sicuti accidit de tunica musculari ventriculi sub gastritide ». *Kreisig* postquam breve historiae ad theoriam de cordis inflammatione spectantis compendium praebuisset concludit « si hae inflammationes (cordis nempe, pericardii et vasorum majorum) tantummodo ab antiquis suspicabantur, quomodo tamquam origines fere omnium harum partium organicarum laesionum retineri poterant?... Clarissimus *Raimann* quoque ut carditidis lentae exitus instrumentalia vitia considerat: dicit revera» frequenter autem lethifera evadit inducendo incrassationes, indurationes, ossificationes valvularum, arteriarum coronariarum cum anginae pectoris *Heberdenii* dictae symptomatibus et majorum vasorum phisconiam, polysarciam, aneurysmata cordis, angustationes cavorum ejus, aortae et arteriae pulmonalis,

nec non si inflammatio membranam internam occupat polypos cordis inducendo a coagulis polypi formam aemulantibus probe distinguendos ». Sed auctoritates permultas, quas enumeratis addere possem, brevitatis causa praetermittentibus nobis animadvertere, atque ad mentem revocare sat erit generales inflammationis effectus in alterando, subvertendo, poenitusque organicam partium structuram mutando, sufficiet pathologicas metamorphoses in aliis visceribus ab eodem inductas processu attento animo examinare, ut carditidem utpote illarum laesionum organicarum fontem habeamus, non exceptis quibusdam aneurysmaticis vegetationibus, quarum origo quondam in meccanica, et immodica cordis dilatatione ob impetum, sanguinisque impulsionem solummodo reponebatur. De illis saltem aneurysmatibus loquor, quae cum enormitate sic dicta cordis consociata, et parietes ingentes, crassas, induratas praeseferentia cum innumeris materiei fibrinosae stratis potius refrenare, quam ulteriorem dilstationem favera deberent; de illis, in quibus dilatatio vagis, multiplicibus, lateralibus directionibus eveniens nullo modo a sanguinis columna producta concipi potest; de illis, quae adhaesiones cum proximis partibus, parietibus jam antea luxuriosa et abnormi nutritione incrassatis, contrahentia, et magis magisque morbose vegetantia omnia corrodunt, omnia destruunt ea usque, quae maximam opponere resistentiam deberent, ossa ipsa activam vegetationem loculenter patefacientia, cujus vi nil resistit ea profecto ratione, qua saxum resistere nequit praepotenti expansionis vegetativae nisui alicujus arbusculae, quae per scissuram penetrans in eo profundas figit radices: de illis, quae usqua ad extrema vitae momenta, dum in reliquo systemate omnis motus fere omnino extinctus, validissime pulsant in semetipsis vibrationis acceleratae causam tenentia; de illis, quae cum exageratis circuli conditionibus, cum vasculari cumultu, cum stimulorum impatientia, cum activis congestionibus, cum reactione universa concitata decurrere solent.

Ad praevertendas calamitates, quibus carditide acuta laborantes minantur, ad progressus inflammationis in exitus communes cunctos plus minusve in organo tantae praestantiae, ac nobilitatis periculosos facillime abiturae cohercendos methodus antiphlogistica prompta, generosa et constans in auxilium vocanda. « Non datur, inquit *Kreisig*, inflammatio quae adeo activum adeoque sollicitum, sicuti haec subsidium exposcat, quaecumque phlogoseos cardiacae occasionalia fuerint momenta. » Monet idem auctor, quomodo *Boerhaave* in cordis vulneribus sanguinem ad deliquium usque educere, aegrumque ad summam debilitatem redigere consuluisset. In carditide epidemica a *Trecuort*

observata medicus ista in prima morbi die omni secunda hora venam secare, donec phlogosis aliquantisper imminueretur, coactus fuit. Hanc methodum energicam adhibendo *Trecuort* viginti tantum super centum aegros amisit, et praeterea omnes illos cardiacos obiisse, quibus intra viginti quatuor horas a prima morbi adparitione medicum auxilium praestare nequibat, observavit. Sanguinis ergo depletiones tot vicibus repetitae, quantas symptomatum perseverantia, morbique gravitas requirunt, primum inter alia subsidia in usum trahenda, locum tenent. Priores ex amplo vulnere largiores quam in aliorum viscerum inflammationibus celebrandae, atque pro indicantium momentorum dignitate illico saepe saepius iterandae. Quandoque, practicis monentibus, absque ullo metu ad deliquium usque sanguinem subtrahere licet. Juxta auctorem Germanicum trepiditas in dicto curaa genere hisce in casibus tamquam fatalis error habenda. E contra deliquia, pulsuum fallacem debilitatem, delassationem insignem, quae incautos statum, ut dicunt nervosum mentientia ad perversam seducere curam possunt, nos potius ad incoatam therapiam continuandam excitare, quam ab ea removere debere advertit: et apparens constitutionis debilitas pariter ab ulterioribus generosis sanguinis evacuationibus medicum deterrere minime debet, secus enim aegrotans aut mortis, aut aliorum consequentium morborum morte ipsa pejorum victima fit. « Etforet gravis error, ait *Boillaud*, sicut momenta venaesectiones contraindicantis habere deliquia, pulsuum parvitatem et inaequalitatem, cum haec phoenomena ipsius carditidis sistant effertus; neque alio modo circulatio ad normam redigi potest, nisi dictam inflammationem compescendo. » Quimmmo censeo, quod, dum vires aegri admodum depressae cernantur, dum pulsus debiles, parvi, irregulares et deliquia frequentia recurrant, hoc eveniat, quia adfectio gravior et profunda partem visceris centralem et in primis filamenta nervosa ad motus cordis directius inservientia eminenter aggressa sit. Practici revera illum morbum, qui aliquam inter symptomata et pathologicam conditionem contradictionem objiciaret jure meritaque semper metuere. Fortassa, si carditis acutissima frequentior occurreret, cum insigni bumanitatis emolumento nonnulli pervicaces medici ediscerent, quantae sit utilitatis phylosophica distinctio inter physiologicam functionum debilitatem, omnium ferme morborum propriam (in salute enim tantum maximus fortitudinis gradus habetur) et verum virium vitalium languorem. Certe non est credendum, post aliquas sanguinis eductiones symptomatum imminutionem statim eveniendam esse; has leges inflammationem adversantur, cursus enim necessarius ob ipsam istius pathologici

processus naturam absolute redditur, neque aliud ars efficere potest, nisi ejus gradum intra limites, qui integram partium adfectarum structuram organicam relinquant, retinore. Plures auctores, sicut *Laennec*, *Raimann*, *P. Frank* pro carditide idem therapeuticum tractamen, quod pro intensa pneumonitida praedicatur, proponunt. Praeter ergo universales etiam locales hirudinum ope sanguinis subtractiones commendant, *Kreisig* varo, hirudines in morbi initio nil prorsus jurare et tune solum proficuas evadere, quando febris ad declinationem vergat, et pulsus amplior fiat, autumat: quo in casu numero sat ingenti adplicitis, fomentationibus tepidulis sanguinis aegressus fovenduserit. Videtur tamen hasce topicas evacuationes majorem afferre utilitatem, quando plusquam vera carditis, pericarditis debellanda occurrat: a sedis enim proximitate atque a textus omologia inter pleuram costalem et externum cordis velamentum effectus salutares majori cum argumento sporandi sunt. Insuper hoc in morbo continuatae frigoris ad thoracem adplicationis saluberrimo praescribuntur consilio, et celebre est effatum *Hyppocratis* » dolor ad cor quem venaesectio non tollit, tollunt fomentationes frigidae. » Cavendum tamen, ne in ejus adplicatione aliqua interruptio locum habeat: tunc enim in intervallis caloris alternantis actioni aegri subjiciuntur eo magis perceptae, validae et periculosae, quo intensiori frigori succedit. Dein sollicite adhibenda, et cum praefatis subsidiis consocianda medicamina antiphlogistice agentis, illa specialim, quae super organa circulationis centralia, universumque vasorum systema electivam exercent actionem, et ad vibrationes angioiticas sedandas, ad activas haemorragias compescendas, ad nimium vasculare incitamentum temperandum, atque ad vitalem reactionem excedentem moderandam idonea existimantur. Ad haec generali ferme medicorum consensu demandantur potiones glaciatae, nitrum, acida vegetabilia et mineralia diluta, aqua lauro-cerasi, digitalis taxus baccata, squilla maritima, ferrum aliaque plura. Idem acidum hydrocianicum convementer administratum a nonnullis perutile hocce in morbo inventum fuit. Digitale prae aliis medici tamquam praestantissimae virtutis remedio utuntur, postquam ab illustribus italis *Rasori*, *Borda*, *Tommasini*, *Fanzago*, *Giacomini* phylosophicis innixis experimentis ejus actio eminenter controstimulans declarata fuit. Adnotandum tamen venit, hoc pharmacon aliquando peculiaria edere phoenomena veram morbi imaginem obvelantia, ideoque maxima cum cautela adhibendum. Damna autem a digitali hocce praesertim in morbo interdum producta cognoscere opportet, quae generatim ad sequentia reducuntur: *a)* Actio ejus tam electiva et potens super cor vasaque praecordialia saepe cum peri-

culo turbat et fera quamdoque eorum motus suspendit, quin satis super reliquum systema agendo phlogisticas conditiones in universo organismo aut in quibusdam corporis partibus diathesice diffusas insimul modificasset: *b)* Nimia ejus effectum in pluribus circumstantiis retardatio, in quibus actio summopere prompta necessaria evaderet; in mora enim saepissime, ut in acuta carditide latet periculum: *c)* Maximum discrimen, quod relate ad effectus ostendit juxta varia temperamenta et hydiosincrasias; conditiones, quas e priori non semper cognoscere et exacto subjicere calculo datum est: *d)* Perseverantia et tenacitas effectuum super cordis motum et adparatum nervosum, quae haud raro persistit, quando non amplius necessaria, immo damnosa virium vitalium protracta depressio eveniret. Quibus omnibus consideratis, nonnulli auctores digitalem hisce in casibus seponebant. A celeberrimo *Tommasini* taxus baccata utpote remedium actionis minus incertae proponitur, quod caeteroquin eadem universali atque electiva donatur virtute. Quod si antimonialia et in primis tartarus stybiatus inter validissima ad morbosam incitationem coercendam pharmaca censentur, in carditide vero magnas in eorum administratione cautelas exposcunt, ne vomitus insurgat ob fortem concussionem, et universam aegri agitationem scrupulose vitandus. Caeterum et alia notissima antiphlogistica pro re nata suppeditanda. Ubi autem angiosthaniae et praecordialibus tumultibus turbae nervosae, spasticae in individuis speciatim valdopere sensibilibus et irritabilibus quadam systematis nervosi mobilitate praeditis adsociantur, aut solum, aut aliis remixtum medicaminibus extractam plantae virosae omni jure *opium pro robustis* vocatum, nempe extractum hyosciami administrandum. Necessarium interea est, actionem pharmaceuticam congruo auxiliari regimine. Aeger in perfecta quiete teneatur, animi corporisque tranquillitas sedulo concilietur, stimuli externi, strepitus, lux nimia, elevata temperies attente arceantur, victus tenuissimus, potiones gelidae, refrigerantes largiter haustae concedantur.

Phlogoseos cardiacae acutissima moderata periodo, non tam cito methodus antiphlogistica desserenda est; experientia enim teste in hoc morborum genere facillime subitaneus arteriosus subsultus, tumultus praecordiorum inexpectati, repentinae effusiones haud raro lethales suscitantur et tandem subdolus ad chronicam carditidem transitus promovetur. — Lentae cordis inflammationis cura non essentialiter, sed gradu tantum diversa esse debet. In hac postrema constantia praecipue et aegris et medicis maximopere commendanda: carditis enim lenta diutius sub fallacissimo lenitatis adspectu decurrere solet, aut hypocon-

driasis et hysteriae phoenomena communia praeseferens ut plerimum negligitur, donec illae in corde instrumentales, de quibus locuti sumus, metamorphoses enatae inexpectate aegros cum summo medicorum dedecore e vita tollunt.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Inter ventriculos et sinus cordis illud idem structurae atque functionis discrimen, quod inter arterias et venas adnotatur.

II.

Lien tamquam systematis lymphatico-glandularis pars consideranda.

III.

Non dantur textus erectionis facultate primitus donati.

IV.

Cutis non organon, sed organorum complexus.

V.

Glandula pinealis illum super cerebrum influxum, quem plexus solaris super abdomen exercet.

VI.

Terror ad pathemata deprimentia erronea demandatur.

VII.

Crisis salutis redeuntis effectus, non causa.

VIII.

Ob inductionem physiologicam thymus, et capsulae atrabiliares utpote glandulae conglobatae retinendae.

IX.

Relate ad decursum atque officium nervi motorii arteriis, sensorii venis aequiparari possunt.

X.

Cellulae textus cellulosi inter se directe non communicant.

XI.

A cerebro proprie dicto nervi non proficiscuntur.

XII.

In impetiginibus folliculi sebacei adfectionis sedem constituunt.